

mittit, antequam de magnitudine eius canat. Est quidem vtraque laude digna: verum admonemur in eo, quod primum dicit: *Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus*; ac tum demum subiicit: *Quoniam ego cognoui, quod magnus sit Dominus*: neminem rectè laudaturum Dominum, propterea quod magnus est, & cunctis dijs gentium eminentior, nisi primum bonitatis illius sensum corde conceperit, atque eum, tanquam bonum, laudare didicerit.

Pfallite nomini eius, quoniam iucundum.] Consideremus hinc, quàm competenter Psaltes, postquam dixit: *Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus*; subiiciat, dicens: *Pfallite nomini eius, quoniam iucundum*. Bonitas Dei, nomini illius iucunditatem parit. Iucundum est memorare, iucundum audire, iucundum cogitare de nomine eius, cuius eximia bonitas sentitur in omnibus, prædicatur ab omnibus. Iniucundum est nomen impij ac truculenti tyranni.

Deinde & illud obseruandum est, quod nomen Dei canitur esse & terribile & iucundum. Suprà Psalmo 111. vers. 9. habetur sic: *Sanctum & terribile nomen eius: & hinc canitur, quod sit iucundum*. Quomodo ista conueniunt? Si terribile est, quomodo iucundum? Si iucundum est, quomodo terribile esse potest? *Respondeo*: Et terribile est, & iucundum, sed diuersis respectibus. *Terribile est*: id est, reuerendum, tanquam sanctum & augustum: *iucundum*, tanquam bonum. Vnde illic, vbi dixit, *Sanctum*: adiecit: *Et terribile*: hinc verò postquam cecinit: *Quoniam bonus Dominus*; subiicit: *Pfallite nomini eius, quoniam iucundum*.

OBSER.
Vers. 4.

Quoniam Iacobum elegit sibi Dominus.] Obseruemus hinc, quâ ratione electionis mentionem faciat, cum multa sint beneficia Dei præter illa, quæ Israëlì impendit, quorum recordari poterat. Subiecturus est infra quædam ex illis: verum hinc quoniam dixerat: *Laudate Dominum quoniam bonus Dominus*: vt bonitatem Dei erga Israëlè peculiariter declaratam, exemplo aliquo celebraret & commendaret, quod & primum esset, & ceteris admirabilius, visum est de eo canere, quod Israëlè sibi in peculiis ex omnibus totius terræ nationibus elegit. quâ in re prorsus nihil prætexi potest, quàm infinita illius bonitas, quam & Moses aliquoties in hac Israëlì electione considerandam proponit, & nobis Apostolus diuinæ electionis gratiam Rom 8. & Eph. 1 commendat.

OBSER.
Vers. 5.

Quoniam ego cognoui, quod magnus sit Dominus.] De eo, quod *Dominum magnum* esse canit præ dijs omnibus, vide suprà Psal. 86. 89. 95. 99.

Præ omnibus dijs.] Poterit hinc queri, quid adeò præclari sit, esse Dominum maiorem dijs omnibus. Quid enim sunt dijs gentium in vniuersum omnes? Vtique dijs non sunt, sed miserimæ creaturæ, quibus ipsi quoque angeli sunt maiores. Annon præclarius fuisset, si Dominum angelis maiorem esse cecinisset? Respondendum est, respici à Psalte, non ad id quod erant dijs gentium: sed ad id quod esse videbantur, & ad honorem qui illis exhibebatur. Quoniam videbantur esse dijs, eoq; nomine diuinitatis honoribus potiebantur, ideo veri & vnicui Dei maiestatem supra illos omnes extollit. Et dum hoc facit, adimit illis diuinitatis gloriam. Neq; enim possunt esse dijs, qui non sunt supremi, sed maiorem aliquem sustinere coguntur.

6. *Quæcunque ipsi lubent, Dominus facit in caelo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.*

7. *Leuans nubes de extremo terræ, fulgura in pluuiam facit, educens ventum è thesauris suis.*

LECTIO.
Vers. 6.

Quæcunque ipsi lubent, Dominus facit.] Græc. & vulg. Lat legunt in præterito: *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in caelo & in terra*. Et versu sequenti: *Fulgura in pluuiam facit*. Sic & Hieron. & Iustinian. & Felix. Pagninus versu 6. legit in præterito, & sequenti in præsentem.

EXPLA-
WATIO.

Quæcunque ipsi lubent.] Cohærent hi duo versus præcedenti quinto: ad hoc adiecit, vt quoniam Dominum præ dijs omnibus magnum esse dixit, magnitudinem eius ex operibus illius commendat. Tribuit autem illi omnipotentiam & dominium liberum in omnia, cum quæ in caelo supernè, tum quæ in terra, mari, & abyssis, sunt infernè. Sic enim omnia complecti voluit. Et exempli gratia *tempestatis* meminit, cuius originem Deus ab extremis terræ euocat, siue fines terræ, siue Oceanum intelligat Vates, per id quod inde nubes leuat, fulgura fabricat & demittit, & ventum pro suo arbitrio velut è thesauris educit, atq; ista ingenti pluuiam commiscet. Hæc potentia Dei aliena est à dijs gentium, & passim toto terrarum Orbe declaratur.

OBSER.
Vers. 6.

Quæcunque ipsi lubent, Dominus facit.] Quæ hinc notanda sint, vide suprà Psal. 115. versu tertio: vbi eadem habentur.

OBSER.
Vers. 7.

Leuans nubes de extremo terræ.] Obserua hoc loco, quomodo potentiam Dei simul & diuitias in tempestate describat Psaltes. Primum, quod *nubes, fulgura & pluuiam* attinet, sic de illis loquitur, vt potentiam Dei considerandam proponat. Etenim nubes extrahere de extremis terræ, & vsq; ad conuexa caeli leuare ac suspendere, deinde fulgura, non solum ignea, sed & omnium vehementissimè ignita, mutare in pluuiam, rem illis omnibus modis contrariam: quid aliud arguit, quàm horum opificè esse se omnipotentem? Deinde, quod dicit, illum *ventos è thesauris suis educere*, quid admonet aliud, quàm esse illi ventorum thesaurum: id est, copiâ infinitam, & ad ipsius voluntatem repositam vnde producat pro suo arbitrio cuiusvis generis flatus? Admonemur, quomodo & ipsi, cõspecta tempestate, argumenta omnipotentis ac diuitiarum Dei agnoscere, & ad laudandum eum excitari debeamus.

Et illud obserua: Nubes tempestuosa, obscuritate sua iniucunda est, & sequentia fulgura vehementer terribilia: verum ea est clementia Domini, vt frequenter desinant in pluuiam, telluri commodam. Sic solet Dominus ea quæ & aspectu & auditu & sensu sunt inamœna, tristia & terribilia, in commodum & vtilitatem mortalium commutare.

8. *Qui*